



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat
scelerum Ultor Deus**

Selhamer, Christoph

Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.

Concio XLIV. Dom. XIX. post Pent. Contemptibilis Legatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)

CONCIO XLIV.
DOMINICA XIX. POST
PENTEC.

Misit servos suos. Matth. 22.

Contemptibilis Legatus.

S Nilus Abbas morti mirabilem titulum largitur Opt. AA. *verè terribile mysterium (1) mors est.* Quod & quale mysteriū sub morte delitescit? si primam mortis originem quaeras, eundem est in paradysum; hīc hominum Caput Adam mordet pomum, & simul mortem inobedientiæ poenam deglutit; ita non tantum se perdidit, sed unā omnes posteros destruxit, quibus mortis larvam appendit. Indē quisquis hominum fuerit, communi decreto fulminatur (2) quod Paulus intonat: *statutum est omnibus hominibus semel mori.* Lex verè horrida & tremenda, de qua jure (3) dixeris: *pātres comederunt Uvam (rectiūs pomum) & filiorum dentes obstupescunt.* S mortis prodromos accuratius explores, morbos milenos & propè innumeros, quorum arctè vestigia premit mors, fatendum est, verè Nilum exclamasse: *verè verè terribile mysterium mors est.* Videat quis, quod olim uno in globo vidisse legitur S. Benedictus, ut se totum per orbem præ dolorum acrimonia suis in grabatis ægri volvant & revolvant? audiat insuper omnes illorum gemitus, ejulatus, singultus & suspiria, quæ jam per calculum & tormina, per podagram & pleuritidem, per dentium aut capitum dolores accumulatur? sursum certè omnium capilli præ horrore arrigerentur. *Verè verè terribile mysterium mors est*, sub tot & tantis morborum cruciatibus reconditum. Cadant porrò unum sub aspectum rot fata, & miserabiles hominum obitus, tot lethiferi casus per gladios & arma, per fistulas æneas & tormenta, per cicūtas & aconita, per stygiō spumantia pocula tabō, per latrocinantem violentiam,

Hh h

tiam,

(1) S. Nilus
ep. ad
Achat.

(2) Heb. 9.
A.

Terribile
mysterium
mors est.
Quò sensu

tiam, per funem & furcam, per belluas & quatuor elementa hominum vitæ infesta, imò etiam per grassabundam & funestam ebrietatem, (ut enim tritum volat proverbium, nos inter germanos plures in vitris pereunt, quam in vastissimo mari) per bella & repentinam luem &c. in homines ubivis locorum devoluti? iterum exclamare cogimur: *verè terribile mysterium mors est.* Lustrentur unà omnes circumstantiæ hujus variegatae mortis? fletus & lamenta, luctus & lacrimæ mulierum pro viris, filiorum pro parentibus, amicorum pro amicis largæ copiæ cornu profusæ? videatur eminus, ut viri toto corpore atrati & cucullati, feminae totaliter candidæ velut nocturna lemures, tardè ac pedetentim sua in tumultum funera deducant, tragicè vociferantibus campanis, *mors iterum terribile mysterium* dicetur. Uno possit obtutu spectari, ut per totum terrarum orbem etiam capita coronata, & Urbium Summates, Christi Vicarios & Pontifices, Cæsares, Imperatores, Reges, Principes & magnanimos heroës, bellorum fulmina &c. æquè ac lacteos infantes aut exiles lumbricos mors corripiat, eosque sine ullo mortalium respectu perdat, perimat, jure iterum *mors* tanquam *terribile mysterium* proclametur, quod nec ipsi Magnates per omnes casus ritè sciant declinare. Placeat nonnullis temporibus, horam, locum rimari, ubi nos ictu fatali mors excipiat? oculus audient, quod Jethro (4) dixit Moyse: *stulto labore consumeret.* Cur? quia *terribile*, imò etiam inscrutabile *mysterium mors est.* Tempus, hora, dies, locus & conditio soli Deo comperta sunt.

(4) Exod. 18. *De die illa aut hora nemo scit, neque Angeli caelorum* (5) minus ea nôrunt tartarei nebulones. Ideò sapientia inconstans.

(5) Matth. 24. (6) Divina: *vigilate, quia nescitis diem neque horam.* Mane proin *terribile mysterium mors*, quod hoc ipso se nec erui pariter nec explanari, ut interim omnis dies, omnis hora reddatur suspecta. Id certè ex dictis concludit (7) August. *latet ultimus*

(7) S. Aug. de Discip. Christi. *dies, ut observentur omnes dies;* in quo quidem Deus nobis palmarem gratiam exhibuit, quòd ex ipsa mortis certitudine grande ac *terribile mysterium* educeret, nullis artibus, nullis unquam ingeniis sine revelatione Divina ad certam diem vel horam explicabile. Possit hoc *mysterium* ad certam diem vel horam divinari? numerus certè damnatorum semurum multus

(4) Exod.
18.

(5) Matth.
24.

(6) Matth.
25.

(7) S. Aug.
de Discip.
Christi.

multis capitibus augetur &c. Mittat nobis Deus etiam nuntios suos & internuntios, prout hodie legimus factitatum, *misi servos suos &c.* qui ad aeternitatem obvios invitent? timendum sanè fuerit, ne fustibus & gladiis profcindantur, prout hodie factum legimus. Placeat ulterius mortem retrorsum arbitrari? ut nempe omnes hinc abeant, & nullus inde ad suos revertat; ut omnes etiam amici in longinquas demigrent regiones, interim à nullo mortalium resciantur, quorsum illi gressus suos & prolixam itinerationem direxerint? sursum? an deorsum? versus beatam an damnatam aeternitatem? in coelum? an in avernum? aut in mediatoriam ignis purgatorii sphaeram? iterum cum Nilo exclametur: *verè mysterium terribile mors est*, quia ex ea nil certi potest deprehendi, quid ibi animæ agatur, suo corpusculò solutæ. Ah! quot diem obeunt supremum, hostibus suis ex integro reconciliati, Sacris omnibus ritu christiano muniti, cum suavi morum fragrantia, cum ambrosio virtutum odore, cum celebri fama probitatis, cum spe minimè dubia obtentæ Beatitudinis, ibi tamen suis cum operibus bilanci judiciariæ impositis pondus non habent ad perennem vitam omnis boni feracem, omnibus gratiis affluentem, prout hactenus pluries audivimus. *Verè mysterium horribile mors est*, Nilo teste.

At hæc omnia mysteria & mysteriorum prodigia multis gradibus transcendit ultimum illud mysterium, quod modò statui enucleare. Quod illud ordine maximum mortis mysterium? id grandibus viarum intervallis alia omnia post se relinquit, esse nempe hõc ævò homines ita cæcos, ita plumbeos; sciunt, sibi moriendum esse; sciunt, se singulis horis proximius aeternitatem adire, his tamen insuper habitis, vivunt liberè, laxè, dissolutè, impiè, sceleratè, quasi nunquam morituri, quasi ab illa communi lege *statutum est omnibus hominibus semel mori*, penitus exempti, quasi omnis periculi de morte irruptura ubique securi, cum tamen nec locus tam sanctus, nec Angulus ita obseptus, nec castellum tantoperè obvallatum sit, quò non momentaneo assultu mors irruat, si velit. Sciunt, nullum diem, nullam horam investigari posse, quâ dici certè valeat, jam seriò animam agi, jam hinc migrandum esse.

Hhh 2

Sciunt

B.
Id in
morte
maximum
fuerit
myste-
rium, tam
multiplex
mortis
mysterium
à tam pau-
cis appre-
hend.

Sciunt, se nec unicum temporis momentum extra omnem telum
jactum tutos consistere. Sciunt, ubique retia tendi, ubique
laqueos & pedicas strui, quibus homo irretiat & perimat.

Senibus in januis, juvenibus in insidiis prout loqui placet

Guerrico. (8) fata intentari millena. Vident, Viros etiam
sanctissimos cum D. P. Hieronymo totis artibus contremiscere,

1.

si modum in memoriam revocent mortem aut judicium mortis
pedisequum; verbum, sciunt, videntque homines ut bruti
necari, lanionum officinae illata; his tamen non obstantibus
jubilant, saltitant, deliciantur instar luxuriantis juvenis
macello proximae. Hoc hoc est horribile mysterium, quod
nullus capere vult, ut ut nostris quotidie oculis obversetur.

(9) Luc. 12.

*Cæcis hæc ac plumbeis hominibus Deus identidem
obsequiosi spiritus oclamant: (9) stulte hac nocte repetent
animam à te; hac ergo, qua parasti, cujus erunt?* quorsum
vestium, servorum, vernarumque pompa? cui bono tam
enormis opum corrasarum copia? stulte, hæc nox ultima
nox erit, cras eris funus. Stulte, hac adhuc nocte, non primam
post mensum alterum, post duos, tres, quatuor, decem aut
viginti annos, tua in phantasia decretos migrandum est. Fata
inopinatio, ac repentino humi rues, & nunquam ultra in vitam
resurges; quæ per fas & nefas corrasisti, aliis relinques; tecum
que nil auferes quam opera tua seu bona seu mala; rebus tuis
prospice; accinge te horrido & periculoso itinere in proliam
æternitatem adornando. Ne annis, ne viribus, ne firmæ valetudinis
fide! ne tibi annos promitte Nestores, Mathusalæos! *quanti
minus mors in prospectu est, tanto magis, si sapimus, suscipiamus*

(10) Guer.

h. c.

*est, idem monet Guerricus (10) stulte, hac nocte animam
repetent à te, hac, inquam, nocte, quæ totam rationem tuam
amens ebrietas contumulat; quæ iram & vindictam tuam in vic-
num exactuas, quæ luxuriæ sordibus aurium tenus jaces immer-
sus, & nullum usquam periculum observas, anima tua jam
fortè stygi transcripta, ad Summi Judicis infallibilem Ultram
deferetur &c. tu verò his omnibus in auram distatis, gratias
pergis & luxuriari, de vita ritu christiano ducenda nospicis
solicitus, unde nec mori valeat ritu christiano. Nulla mors
cura pectus extimulat, licet jam alteram manum extendat.*

& tuas tibi fauces constringat &c. hoc hoc ex omnibus mortis hujus mysteriis omnium maximum est & horridissimum, quod nempe huic mysterio vita nostra tam modicè conformetur. Quæ per Deum immortalem, mali hujus & incuriæ causa est? quid hujus mysterii horrorem usque adeò extenuat, cum tamen ex illius accurata meditatione tota pendeat æternitas? doctissimus Gretserus Marckdorffensis Aeronianus, cujus ultra centum libros luci datos Senatus ibidem bellè compactos tanquam nobilem thesaurum hanc in horam sua in Curia honorificè asservat, citat in tomo suo (11) de S. Cruce ignoti nominis Authorem græcum, qui rei hujus totam causam exponit his verbis è græco in latinum à Gretsero translatis: *dolus inimicus noster diabolus continenter nos decipit voluptatibus vita, & tempus procrastinando suffuratur; mihi, inquit ille, diem da hodiernum, Deo crastinum; mihi tempus presens, Deo futurum; quò consilio hæc facit? ut ita tardantes ad pœnitentiam & emendationem superveniens abripiat mors, quando non est, qui redimat, neque qui salvum faciat.* Hæc græcus Author. Manet proin horribile mysterium mors, quia ex putida pomi origine prognata, per morbos hominem irruit innumeros, nullam hominum respicit personam, pari que protervia pauperum casas Regumque quatit turres; quia certa simul & incerta est; quia unò momentò multa milliarium millia animas transportat in locum nulli compertum; tandem quia in his omnibus circumstantiis & casibus passim à nullò serena mente curatur aut observatur.

Ah, dicet nonnemo utique mortem curo, timeo, horreo, & eminus nauseo, si vel obiter animo ac memoriæ meæ recurrat mors; non possum hoc ipso funus ullum ad tumulum suum comitari, quia ex solo tumbæ aspectu horror immanis membra corripit, qui se multo tempore nec pelli patitur, nec sopiri; parum me etiam ad mortem piè obeundam, eumque in finem singulis diebus lytanias recito Lauretanæ, ut per intemeratæ Virginis opem ac patrocinium felicem articulum nanciscar; at si modò illam quoque gratiam participarem, cujus in Evangelio præsentem fit mentio, & Deus ante obitum meum, ad me quoque servos suos mitteret, qui mihi mortis horam nuntiarent, sicut

H h h 3.

hodie:

C.
Causa incuriæ
hujus quæ?

(11) Grets.
tom. de
S. Cruc.
adorat.

hodie servos misit, ut ad nuptias agni obvios invitarent. tunc sanè diu noctuque precibus invigilarem; tunc has & has fundationes erigerem; tunc hæc & hæc pia legata expedirem; tunc ipse tot centurias pauperibus erogarem, cum eleemosynas misellis decretas ab aliis toties videam enormiter decimari; cum verò hoc horribile mortis mysterium exenterare non possim, nec quidquam de ultima hora mea valeam experiri, nesciam adeò, quantum mihi ad vitam in annos sequentes tuendam sit necesse, me sanè tam fervidè ad hanc mortem non possum præparare, sicut tamen me certò præpararem, si & me per servos suos de mortis approximatione modicè erudiret.

Opt. AA. ita qui cogitant aut loquuntur, illam classen reddere videntur auctiorem, cui olim Christus primas sedis ambienti, criticum (12) dedit responsum: *nescitis, quid per vos*. Hæc petitio periculi plena est; hoc ipso enim fallacissimè dæmon totis in id viribus incumberet, ut hos servos, hoc internuncios aut legatos larvâ tegetet, ne pro legatis agnoscerentur. Id si obtineret, jam in lucrum talis amara orco cederet; sic enim semper antiqua crambe audiretur: mortis prodromi necdum videntur, ubi sæpè jam iterum ad propria remeârunt, perfecta legatione: opus adeò non est tantâ sui castigatione, jejuniò, inediâ, victoriâ &c. necdum omnes horas difluxisse. Verum si fuerit, quod præfens innuit Evangelium, *misit servos suos*, tunc totis viribus poenitentia apprehendetur; tunc preces precibus accumulabuntur; interim cum mundo vivendum, neque tamen idèò toto pectore Deus excludetur. Hem! ita nos dolis & fraudibus suis cæcitas cacodæmon deciperet, & in multiplex scelus præcipitaret, si etiam hi nuntii & mortis legati nobis promitterentur.

Hæc omnia ut fortius inculcem, nunc ea quoque tragico quodam exemplò suffulciam; unde ad oculum pateat, nobis multò utilius esse, si hoc *horribile mortis mysterium* sic Nilo nuncupatum, quoad horam aut ultimam diem nobis non detegatur. Quod suis Acroamatis inferuit Bidermannus (13) originaliter ex S. P. Antonino Archiep. Florentino (14) transumpsit, & sua nobili penna & vena insigniter collustravit. Erat.

(12) Matth.
20.

D.
Prodest,
passim
ignorari
mortis
nostræ
horam.

(13) Biderm
L. 3. acroam
2.
(14) S.
Antonin.
2. p. Sum.
tit. 2.

Erat nobilis adolescens, qui perenni parentum cura & industria in omnem pietatem adolevit. De illo rectè dixeris, quod Spiritus Sanctus Salomoni (15) aptavit: *sortitus est animam bonam*, docilem, flexilique ceream & timoratam. Quid verò maximè timuit? ipsam mortem; vidit nempe fatò extingui numerosos homines, prædominante ad tempus contagiosa lue. Tot inter funera jare horrorem aliquem adolescens ille concepit; variis inde phantasmatibus distentus, varia secum animò coquebat; maximè tamen hic cogitatus animum pressit & occupavit: O utinam morti meæ ritè possem præparari! ne ita improvisò me hinc raperet libitina, sicut video hunc & illum miserè abreptum esse. O utinam hanc unam gratiam è cælo captarem, ut monitus antè, insidiantem à tergo mortem, non quidem cavere aut subterfugere, sed paratus expectare, ac promptus excipere possem! ita sanè non foret, cur mortem tantoperè timerem. Eam ob rem assiduas preces, & crebra fudit suspiria, quibus unum hunc favorem à Superis eblandiretur, ut de imminente fatò paulò antè admonitus, se ritè posset ad piam mortem componere. Pro hac gratia periculi plena, tam ardentibus votis Deo supplicabat, ut eam tandem superis annuentibus impetraret. Dabat se ipsi spectandum Custos Angelus, qui ei fidenter asseruit & asseveravit, eum è vivis haud migraturum, quàm nuntiis à se præmissis monitus, supremo itineri plus triduo posset accingi: videret solum, ne comæatu tunc necessario per socordiam destituatur. Credi vix potest, quid adolescens nuntiò tam exoptato recreatus senserit, egeritque; qui enim nuper unius periculi metu acerrimè discruciabatur, hoc metu iam proscripito, quid nisi vitam beatam agitare se crederet, & gaudii sui magnitudinem, nullò posse morbo turbari, certò sibi persuaderet; struat, ut placet, (sicillesecum clam & palam) insidias suas callida, præceps, & intempestiva, me certe incautum nec irretiet, nec opprimit infida mors; aderunt multò antè legati, qui dormitantem extimulent, dicantque, magnis passibus mortem appropere: Alium domus ruina sepeliat, quàm terreat: alium nec sentientem letalis obruat somnus: alium dapes venenò illitæ conficiant: alios

(15) Sap. 8.
E.
Probatur
exemplò,
tertium
de morte
moniti &
dampati.

alios ipsa voluptas sic securos perimat: multos alios ferre ebrietas è scalis præcipitet, & umbris misceat gula &c. mihi certè contra hæc omnia evidens scutum præstò est, fata infesta nunquam obrèpent: præmonebor. Ita sui securus paulatim in alium à se libertatis aucupem mutari, pravis sodalibus misceri, ludis & ludicris operam dare, precibus & literis nuntium remittere, in quavis probra præceps ire tanto impetu occipit, ut qui paulò antè fuit integerrimus, jam repentè omnium deterrimus audiret, qui ruptis omnibus habenis, divinas humanasque leges protervis pedibus conculcavit. Ab hac vitæ licentia filium suum nec pii parentes abducere poterant nec propinqui; tentavit & aleam suam Magistratus, sed parentum cum parentibus repulsam tulit. Quidquid ei de Deo scelerum ultore, de orco sceleratis accenso etiam à Sacris occinebant, id totum sua solenni formula rejecit, elusit, præmonebor, prius inde, quàm mors occupet, serò respiciam, & adhuc vivus ultimò triduo multiplex flagitium expiabo. At quid ages, si prior mors irruat? non irruet; mittet antè me nuntios suos, legatos suos Custos meus, qui mihi ambrosia aures vellicent, ac mortem prænuntient: datum acceptumque pignus est: interposita est fides: id manu sua boni Cælestis stipulati sunt, Angelus meus: præmonebor.

Hem! ut diabolus sub larva præmonitionis pedes irrepsit, idque pulsò Deò, sibi uni vendicavit. Sic vel incautos orcus supplantat. Certissimus de articulo nostrum curabit ocius, ut pœnitentia ad ultimum usque spiritum extrahatur; interim ad quavis flagitia parabit viam; si autem se tandem præsentem sistant legati, ita eos larvabit, ut nempe illos sit agnitus aut recepturus, dum anima impœnitens corpore solvatur. Tenuit sat diu vitam insolentem, & in omni scelus projectam, Deo ad flagitiorum farraginem connivente: ut tamen annosam pravitatem vel reprimeret vel proscinderet, stabat verbis suis exactè Deus & Tutor Angelus. *Misit seros suos* paulatim Deus, qui eminus & cominus ei mortem ostenderent, & de fato imminente luridum sodem serò præmonerent. Accidit fortè, ut vicinum in vicum eques abiret: hoc in itinere transeunda erat silva, latronibus infesta, quos

tamen nullatenus extimuit, quia eum Tutor Angelus necdum præmonuit. Vix silvam ingressum, latronum manipulus equitem excepit, strictoque ab omni parte ferro, cum effugium non pateret, parùm abfuit, quin sua de vita desperaret; mox tamen seipsum mortis prænuntiò solatus, mori non posse, quem nullus adhuc Angelus, nullus è cælo legatus monuisset; inde capto impetu per micantes gladios erupit, datisque equo calcaribus, in tutum æstuans evasit, mox seipsò deterior futurus, qui jam prima vice monitus, se potius ad piam mortem in terris obeundam accingere debuisset. O cæcum adolescentem! qui monitorem suum in tanta mortis vicinia ne quidem oculò respexit! vix salvus lares attigit, suis cum græcantibus sociis ad tabulam & amphoram omnem metum per latrones incussum funditus absterfit, narrata tota velitatione, quâ unus contra omnes victor evaserit, nempe, nullus adhuc fati prodromus præstò fuit, qui martem digitò signaret; hinc vitæ certus, faucius quidem, vivus tamen domum revertit; cum his sociis de victoria lætus alterò die navem conscendit, & alto se commisit ridente cælo; at cum lusibus & poculis strenuè indulgerent, en subitò nubes coire, reboare venti, tonare, fulgurare, susque deque misceri omnia. Surgebant in altum præliantibus ventis irritatæ undæ, & creberrimis fluctibus navim oppugnabant. Stupebant horrore rigidi nautæ, comæ sociis rigeant: alii sursum manus attollere, alii vota votis accumulare, si portum salvi attingerent, vitæ suæ alii seriam spondere mutationem; hoc in articulo solus juvenis noster, quem tanquam pessimum procrastinatorem cum græcis *Anaboli* nuncupamus, quia nullum ei proprium nomen assignatur; solus, inquam, Anaboli noster licet vultu palleret, animò tamen obstinatò nec salutis anxius, nec de venia cœlitùs obtinenda sollicitus curas omnes proscripsit, certus, se necdum ritè præmonitum, undis hisce neutiquam hauriendum; Desævicit interim tempestas, & hominem impium adhuc salvum in portum ejecit. Sic etiam alter iste nuntius maris truculenti rabies in monendo ac movendo Anabolio actum egit. His monitis penitus elusis, cepit tandem inexpectato capitis dolore, unà viscerum tormentis graviter vexari; inde acuta febr

febris juvenem adorta, paucis diebus ita confecit, ut pro
 deposito conclamaretur. Aderant maturè Medici, qui con-
 seriò monebant, ut de anima procuranda ritè cogitaret, artem
 corpori servando nihil promittere. Risit ad parentum monita,
 amicorum & medicorum hortamina etiam explosit. Fecit
 quoque loci Curio suum strenuè officium, mortem in limine
 grassari, palàm nuntians, & ad scelerum expiationem amicillime
 ægrum invitans; sed & hic cum reliquis omnibus acrem turbam
 repulsam. Interim dum nuntios exspectat, nec ob oculos
 stare videt præsentis, artus extremos calor destituit, & a
 imos pectoris sinus se totum recepit; jam vigor membris
 cesserat, jam oculi vitrescebant, adhuc stolidus nuntium vultu
 est opperiri, qui mortem jamjam in viscera grassantem nuntia-
 ret. Venit tandem ipsè etiam cœlestis Tutor, ut seu viventi
 seu morienti gravissimos errores exprobraret, eique in faciem
 dixit, jam viventi tempus propè propius effluxisse, sed
 elepsydrum exhibuit, in qua modicum restabat arena; per-
 turbatus hęc nuntiò juvenis, acriter cepit suo cum Angelis
 expostulare: hæccine fides, quam dedisti? hoccine triduum
 illud, quod condixisti? sicine Angeli quoque datam fallunt
 fidem, & suos clientes perfidè decipiunt? audiit querelas hæc
 impias animò tranquillò Tutor, & ductò ex imo pectore suspicò
 hunc in sensum blandè respondit: falleris Anaboli; pactis meis
 steti abundè; monui te satis tempestivè, sollicitè, sæpè, a sibi
 legatorum fuit abundè; nisi servos tibi & internuntios iteratis
 vicibus; at tu eos nec agnoscere nec audire voluisti. Monui
 te meo ex instinctu latronum accursus, monuit te à me munitis
 vates; monuere amici, parentes, medici: hortatus est te
 iteratò Venerabilis Curio, à me pariter subornatus, ut diceret
 diceret morituro; tu verò hos omnes nuntios meos
 contempsisti; & adhuc fidem, quam fregerim, incusas, cum
 tota culpa tua unius culpa sit, qui omnes hos nuntios meos
 despexisti. His dictis, ex oculis vanuit Tutor Angelus, &
 felix verò Anaboli sine expiatis scelerum delictis animam
 exhalavit.

Hem juvenes! hem adolefcentes! hem omnes ac singuli
 morituri

mortales ! quò sua hunc socordia & impia vitæ securitas præcipitârit. Nemo dicat, quàm proficuum foret, si essent, qui nobis fata ultima nuntiarent. Hic patet, quibus oculis hos nuntios exciperemus. Multi nostrum cum hoc Anabollo in utramque aurem dormirent, ad ravim usque mortem inclamantibus legatis. Prostant hi nuntii passim, sed ad hos sponte sua cœcutiunt gulosi, luxuriosi, invidi, avari, & superbi; quot funera exportantur, tot nuntii vicinam mortem vicino designant; quot campanæ resonant, tot iterum legati mortem proximam inculcant. Idem intonant morbi & vulnera, pericula & naufragia, tempestates, & incendia, casus tragici & varii generis ostenta. Nostrum est singulos audire ac sequi, prout nos ipse Spiritus Sanctus hortatur (16) *hodie hodie si* ^{(16) Pl. 94.} *vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Nolite porro ultimam horam curiosius rimari, sed in timore ac tremore, in horribilis illius mysterii observatione, ita probe in conspectu Dei semper vivite, sicut viveretis, si evidenter sciretis, hodie aut cras ultimum fore diem ut sic, & tertium vobis haut amplius oriturum. Verbo:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Fac modò, quæ moriens facta fuisse voles &c.

Et mortem tuam vita excipiet, mori nescia, æternum felix & beata. Amen.

